

Indulgentia sexaginta die- rum.

dicta Congregationis quoties Divinis Officiis in sua Ecclesia, vel Oratorio more ejusdem Congregationis celebrandis, aut Congregationibus particularibus, vel privatis, & secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint, aut Infirmos consolati fuerint, vel Sanctissimum Eucharistia Sacramentum sumpserint, aut conscientiam suam antequam cubitu eant examina- verint, seu flagellis ad carnem castigandam se afflixerint, vel quinquies orationem Dominicam & toties Salutationem Angelicam, tam pro animabus Presbyterorum, & aliorum dictae Congregationis, quam aliorum in Christi charitate Deunctorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, vel ignorantem praec- cepta Dei, & ea quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praefato- rum operum sexaginta dies de injunctis eis, vel alias quomodolibet debitis poenitentis in forma Ecclesiae consueta relaxamur.

Alia Clausu- la.

§.7. Non obstantibus quatenus opus sit Regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad- instar, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, quomodolibet, etiam pluries concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemis- sorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Maji MDCLXXXIII. Pontifi- catus nostri Anno Septimo.

CX XVII.

Dat. 16. Junii 1683. an. 7.

Confirmantur duo Decreta Congregationis Con- cillii decernentia Professiones Brigittanorum, Novissimorum esse validas, eosque denomi- nandos esse Brigittanos.

De origine Brigittanorum Novissimorum, ac causa horum decretorum vide Pontificum Constitutiones, & Congregationum decreta infra laudata sed praecipue hujus Pontificis Constitut. 1681., Octo- bbris 24., Pont. VI.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Varia muta- tiones circa cohabitatio-

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Re- ligiosi Brigittani Novissimi nuncupati, quod

dudum Ordo Regularium utriusque sexus sub nominatione Sanctissimi Salvatoris, itaut illius Monasteria deberent esse duplicia, virorum scilicet, & mulierum intra eadem septa, sub diver- sis tamen clausulis degentium a Sancta Brigitta institutus, & a fel. rec. Urbano PP. VI., aliisque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ap- probatus fuit; verum cum subinde compertum fuisset, hujusmodi virorum cum mulieribus co- habitationem suspitionibus, & scandalis occasio- nem praebere rec. mem. Martino PP. V. etiam praedecessor noster eorumdem Monasteriorum, duplicitatem dissolvit, illaque simplicia, & ab invicem separata esse voluit, licet postea ad preces clar. mem. Henrici Regis, & Catharinae ejus Genitricis Reginae Angliae dissolutionem hujus- modi revocaverit, & Monasteria ad priorem duplicitatis statum reduxerit; in Regnis tamen Angliae, Daniae, & Norvegiae, aliisque ditioni- bus dictorum Regnorum dumtaxat, prout in ejus literis decimo octavo Kalendas Januarii, & quarto nonas Februarii Pontificatus sui Anno Septimo, & octavo respective desuper expeditis, plenius dicitur contineri. Porro accepto per pia mem. Eugenium PP. IV. praedecessorem pariter nostrum, quod ex dissolutione praefata, dissen- siones, & inconvenientia plura surrexissent, & majora in dies emeritura essent, idem Eugenius praedecessor, praevia Constitutionis dicti Martini praedecessoris revocatione, nec ulla illius mode- rationis quoad Regna Angliae, & alia supra enun- ciata emanate, mentione facta, Fratrum, & So- rorum cohabitationem, juxta primaevis Ordinis institutum generaliter, & ubique licitam de- claravit, quinimmo Fratres extra priora Mona- steria duplicia degentes ad illa regredi, si omni- mode ibi locari valerent, alioquin ad Carthusien. Sancti Benedicti, Canonicorum Regularium, Sancti Augustini, Fratrum Praedicatorum, & Minorum Ordines, in quibus benevolos invenis- sent Receptores transire voluit: statuentes, nihilo- minus ne de cetero Fratres, & Sorores hujus- modi, vigore cujuscumque privilegii, locum ali- quem acceptare, seu tenere audeant, ubi aut propter ineptitudinem loci, aut penuriam facultatum loca ipsa non viderentur ad perfectionem reduci posse juxta Regulam Sanctae Brigittae. Sed postmodum ex Decreto Capituli Generalis dicti Ordinis a Sede Apostolica confirmato cautum fuit, ne alias ipsius Ordinis Monasteria sine spe- ciali ejusdem Sedis auctoritate deinceps erigi pos- sent, quo tamen non obstante similis rec. Cle- mens Papa VIII. etiam praedecessor noster suppli- cationibus bon. mem. Isabella Infantis Hispania- rum dum vixit Principissa Flandriae inclinatus, commisit tunc existenti suo, ac dictae Sedis in Belgicis ditionibus Nuncio, & Ordinarii loco- rum, ut Constitutionibus dicti Ordinis examinatis, atque inventis licitis, & honestis, & per Sedem Apostolicam approbatis, facultatem impertirentur fundandi nova Monasteria, & in illorum fun- datione statuendi quaecumque pro eorumdem prospero regimine necessaria esse judicassent. Nonnulla itaque Monasteria erecta fuere, sim- plicia tamen virorum, nempe a Monasteriis mu- lierum separata, editaque successive Constitu- tionibus in formula emittendae professionis, & ple- risque aliis minime conformes regulae primitus tradita a Sancta Brigitta, quas etiam pia mem. Gregorius Papa XV. similiter praedecessor noster

nem virorum, & mulierum d. Ordinis fa- ctis.

Ab Urba. VI.

A Martino V.

Ab Eug. IV.

A Clemen- te VIII.

A Greg. XV.

Contentiones inde exortae, & varia Decreta Cardinalium Congreg. Episcop. & Regul.

confirmavit. Unde isti Novissimi, Priores vero illi Brigittani vulgariter appellati sunt.

§.1. Contentiones autem postmodum hinc exorta, an Monasteria Novissimorum essent vera Ordinis Sanctissimi Salvatoris, seu Sanctae Brigittae Monasteria, ex quo secundum illius in- stitutionem non erant duplicia, Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita declaravit dicta Monasteria vigore lite- rarum dicti Clementis praedecessoris erecta, & erigenda, esse, ac fore vera membra dicti Ordinis, non secus, ac si essent duplicia, & Religiosi una cum Monialibus cohabitarent, quam declaratio- nem similis mem. Urbanus Papa VIII. etiam praedecessor noster, salva praedictae Congregationis auctoritate, confirmavit. Cum vero nihilo- minus Capitulum Generale Priorum Brigittano- rum praefatorum anno 1675. celebratum inter caetera decrevisset, se non agnoscere Novissimum Ordinem pro vero, & legitimo, hocque Decre- tum a nobis de Congregationis memoratorum Cardinalium consilio approbatum fuisset, & his intellectis nonnulli ex dd. Brigittanis Novissimis se a Religione, illiusque votis penitus exemptos esse praetenderent: Congregatio particularis ex dd. Cardinalibus deputata die secunda Julii 1681. decrevit illorum Congregationem esse veram. Religionem sub regula Sancti Augustini a Sede Apostolica in Congregationem erectam, diver- sam tamen a Religione Sanctissimi Salvatoris, seu Sanctae Brigittae a supradictis Urbano VI., Martino V., & Eugenio IV. praedecessoribus ere- cta, & respective approbata; & dictae Religionis Novissimorum Professos utriusque sexus esse, & reputari veros Religiosos, ac neque huic Decre- to acquiescentes dicti Brigittani Novissimi expo- suerunt, se eatenus in dicta Religione professos fuisse, quatenus crediderunt unam, & eandem esse cum vera, & Priori Religione Sanctae Brigit- tae, ideoque nobis pro opportuna desuper decla- ratione humiliter supplicarunt. Illorum autem precibus per nos ad Congregationem Venerabili- um etiam Fratrum nostrorum ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum remissis, propositoque in ea dubio, an eorum professiones censendae essent invalidae, vel potius validae? emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris qui sequitur, videlicet = Die 19. Septembris 1682. Sacra Con- gregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum utraque parte infor- mante, censuit professiones, & esse validas, & Re- ligiosos Novissimos vocandos esse Brigittanos ad for- mam Constitutionis, seu Brevis sa. mem. Urb. VIII. P. Cardinalis Columna Praefectus - Loco * Sigilli A. Altovitus Sac. Congregationis Concilii Secreta- rius - Porro reclamantibus adversus hoc Decre- tum supradictis Brigittanis Prioribus nuncu- patis, ipsa Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, re ad trutinam revo- cata, alterum edidit Decretum tenoris sequen- tis, videlicet = Professiones Brigittanorum, qui Novissimi nuncupantur fuisse, & esse validas, ipsos- que Religiosos Novissimos vocandos esse Brigittanos ad formam Constitutionum, seu Brevis sa. mem. Urbani VIII. incipientis. Exponi Nobis nuper fe- cerunt sub Datum die 9. Octobris 1643. Ponti- ficatus sui anno 21. = decrevit haec Sacra Congre- gatio sub die 19. Septembris proximi praeteriti. Cum

Primum Decretum Congregat. Con- cillii.

Alterum Decretum.

autem adversus hujusmodi Decretam reclamaverint caeteri Brigittani Priores nuncupati, Sanctissimus Dominus Noster mandaverit illud ad trutinam revo- cavi, non gravabuntur Eminentissimi Patres solium, & informationes tunc datas, & nunc dandas per- pendere, an sit standum, vel recedendum a decisis? Die 8. Maji 1683. Sac. Congregatio Eminentissimo- rum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Inter- pretum utraque parte ore, & scriptis informantis, stetit in decisis, & facta de praemissis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas sua ejusdem Sacrae Con- gregationis sententiam benigne probavit - P. Cardi- nalis Columna Praefectus Loco * Sigilli A. Al- tovitus Sac. Congregationis Concilii Secretarius. Quare praefati Brigittani Novissimi nuncupati Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, & ut infra indul- gere de benignitate Apostolica dignemur.

§.2. Nos igitur ipsos Brigittanos Novissimos specialibus favoribus, & gratis profectui volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innoda- tae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & ab- solutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praesentia duo Decreta a praedicta Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum edita, ut praefertur, auctoritate, Apostolica tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate ejusdem Sacrae Congre- gationis Cardinalium.

§.3. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tem- pore spectabit plenissime suffragari, & ab eis re- spective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & De- legatos, etiam causarum palatii Apostolici Au- ditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis aucto- ritate scienter, vel ignoranter contigerit atten- tari.

§.4. Non obstantibus praemissis, ac Consti- tutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non supradicti Ordinis, aliisque quibusvis etiam, juramento, Confirmatione Apostolica, vel qua- vis firmitate alia roboratis, Statutis, & consue- tudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomo- dolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscum- que.

§.5. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae, in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fi- des ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus

Hicse Decre- tis standum esse decerni- tur ab eadem Congregatio- ne.

Preces Brigittanorum No- vissimorum.

Confirmatio solatorum duorum Decretorum.

Clausula.

De hac alternativa vide Const. ed. 1677. Junii 26. Pont. I. Et Const. ed. 1683. Octob. 4. Pont. VIII.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Marinus Sormanus Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum causa Alternativa inter Fratres nativos Hispanos Provinciarum Limanz, & delas Charcas in Indiis Occidentalibus dicti Ordinis ex una, & Fratres Criollos nuncupatos earundem Provinciarum ex altera partibus jamdudum vertens a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sancte Romanze Ecclesie Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium preposita acerime discussa fuisset, emanavit desuper ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur videlicet. In causa Peruana Alternativa vertente inter partes nativos Hispanos professos Provinciarum Sanctorum duodecim Apostolorum Lime, & S. Antonii Carcarar. Ordinis Minorum Observantium Sancti Francisci in Indiis Occidentalibus ex una, & Patres Criollos nuncupatos professos earundem respective Provinciarum Partibus ex altera de, & super validitate, & respective confirmatione ac executione Decreti predictae Alternativae emanati in Capitulo Generali anni 1664. & per hanc S. Congregationem, & Breve si. mem. Alexandri VII., ac per subsequens Capitulum Generale anni 1670. confirmati rebusque aliis &c. - Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium preposita, Partibus hinc inde in binis cause propositionibus pluries informantibus, reque mature discussa, referente Eminentissimo Columna, declaravit, atque decrevit, prefatam Alternativam esse confirmandam, prout presentis Decreti tenore confirmavit, omnes, & singulos juris, & facti defectus si qui intervenerint sanando. Contrariis quibuscumque minime obstantibus &c. Romae 9. Julii 1683. - G. Cardinalis Carpeneus. B. P. Secretarius.

Decretum Congregationis pro Provinciis Limanz, & delas Charcas.

Proces Mini- Ari Generalis.

§.1. Cum autem sicut eadem expositio sub- jungebat, prefatus Petrus Marinus Minister Generalis Decretum hujusmodi, quo promptius executioni mandetur, atque ita multis incommodis, inquietudinibus, & relaxationibus, quibus duae Provinciae predictae, occasione diutinae ventilationis cause hujusmodi, quae multis annis tam in Capitulis Generalibus Ordinis prefati, quam in Romana Curia agitata fuit, multipliciter vexantur, finis tandem imponatur, Apostolice confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret. Nos ipsius Petri Marini Ministri Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praemissorum dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis

super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesertim auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

§.2. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque, in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & desiniri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciarum, & Ordinis praefatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, praesentibus proplene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die V. l. Septembris MDCLXXXIII., Pontificatus nostri Anno Septimo.

CXXX.

Conceduntur Congregationi Suaeve Ordinis Sancti Benedicti privilegia omnia spiritualia, ceterorum Monachorum.

Dist. 12. Sept. 1683. an. 7.

Similia privilegia concessa fuerunt Monachis Congregationis Bavaricae ab Inn. XII. Const. 1691. Aug. 11. Pont. I.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Militantis Ecclesiae regimini per ineffabilem Divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praesidentes, Religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub uavi Monasticae vitae jugo mancipatorum, uberesque in Ecclesia Dei fructus aspirante superni favoris auxilio proficere jugiter satagentium, commodis, & felicibus in via mandatorum Domini progressibus libenter consulimus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, religionis incrementum, & animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

Exordium.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Alphonsus Abbas Monasterii Weingartenensis de praesenti Praesidens, ac caeteri Abbatibus, & Monachi Congregationis Suaeve in Germania Ordinis Sancti Benedicti, quod cum in-

Mo-

Causa Constitutionis.

Monasteriis dictae Congregationis studia continua literaria, zelus animarum, & labores in vinea Domini, qui non tantum ad concionandum, & fidelium confessiones assidue excipiendas, obundaque passim onera Parochialia, sed etiam ad haereticos, qui non raro se offerunt, ad fidem Catholicam convertendos se extendunt, benedicente Domino vigeant, ipsi Exponentes, ut in hujusmodi piis, & salutaribus operibus ferventiores, & alacriores, ad Divini nominis laudem, & Gloriam, haereseum extirpationem, & S. Martiris Ecclesiae exaltationem, de caetero persistant, plurimum cupiunt, pro majori ipsorum Monasteriorum splendore, & decore, privilegia Congregationis Cassinensis, alias Sanctae Justinae de Padua, & aliarum Congregationum dicti Ordinis ejusdem Monasterii ex hujus Sanctae Sedis Apostolica indulgentia communicari. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, quatenus Monasteriis praefatis, ac aliis dictae Congregationi Suaeve in futurum aggregandis, illorumque Praesidentibus, Visitatoribus, Abbatibus, Monachis, & personis praesentibus, & futuris, ut omnibus, & singulis privilegiis, & Indultis spiritualibus praefatae Congregationis Cassinensis, alias Sanctae Justinae de Padua, & aliarum Congregationum ejusdem Ordinis, ac illarum Praesidentibus, Visitatoribus, Abbatibus, Superioribus, & Monachis, ac Personis quibuscumque, illarumque Ecclesiarum, & Monasteriorum, etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut alias quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam per nos concessis, & in futurum concedendis, ac quibus earumdem Congregationum, Abbates, Superiores, & Monachi, necnon Ecclesia, & Monasteria hujusmodi de jure, usu, & consuetudine, privilegio, aut concessione Apostolica in genere, vel in specie, ac tam conjunctim, quam divisim, seu alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt, dummodo tamen sint in usu, nec revocata, aut sub ullis revocationibus comprehensa existant, neque Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, aut Constitutionibus Apostolicis repugnent, pari modo uti, frui, potiri, & gaudere valeant perpetuo concedere, & indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

Proces Praesidentis, & Abbatum.

§.2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, qui dilectum filium Procuratorem generalem dictae Congregationis Cassinensis, audiverunt, consilio, praefatae Congregationis Suaeve, ejusque Praesidenti, Abbatibus, & Monachis, caeterisque personis dictae Congregationis, ut omnibus, & singulis privilegiis, & gratiis spiritualibus tantum, quibus potiuntur, & gaudent Congregationes Cassinensis, & aliae dicti Ordinis S. Benedicti, potiri, & gaudere possint, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, & indulgemus, salva

Concessio praedictorum privilegiorum.

tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Clausula.

§.3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & desiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus nostrae, & Cancellariae Apostolicae Regulae de Indulgentiis ad instar non concedendis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu Exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Septembris MDCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

CXXXI.

Indicuntur tres Decimae super fructibus, & pensionibus bonorum Ecclesiasticorum totius Cleri in universa Italia, & Insulis ei adjacentibus ob imminens bellum Turcicum.

Dist. 5. Kal. Octob. 1683. an. 7.

Similes decimas habes Urb. VIII. Const. ed. 1631. 14. Kal. Feb., P. 9., Alex. VII. Const. ed. 1660. Mar. 24., P. 6. Clem. X. Const. ed. 1674. Mar. 12. P. 4. Hujus vero Pontif. Const. ed. 1688. Nov. 25., P. 13. prorogatur praesens Indictio.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

CUM ab ipso nostri Pontificatus initio, ad quem divina Clementia in altitudine divitiarum sapientiae, & scientiae suae nos meritis licet impares evertit, malis undique afflictam, scissamque discordiis Christianam Rempublicam, videremus, ad Dominum in amaritudine cordis nostri clamavimus, eumque deprecati sumus, ut secundum multitudinem miserationum suarum redimeret nos a malis, & non daret hereditatem suam in perditionem, & in opprobrium. Quod quidem postea eo ardentioribus votis efflagitavimus, quo rebus quodotie magis in deterius labentibus omnia periculis prona esse videbantur, nam expugnatis jam ab eifero Turcarum Tyranno Varadino, Neufelio, & Cameniccio munitissimis Hungariae, & Paedoliae arcibus, & Cretae Regno post diuturnum, acerbissimumque bellum subacto, Germania, atque ipsimet Italiae cervicibus fidelissimae servitutis jugum imminabat. Haec inter vota, & curas Pastoralis Nostrae sollicitudinis teterrimus Hostis, atque in omnem

Exordium. petunt tunc Christianos R. publicae Status.

O o occa-

tibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Junii MDCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

CXXVIII.

Indicatur Jubilæum universale ad implorandum divinum auxilium contra Turcas.

Aliud Universale indicatum fuit antea ab eodem Pontifice Consl. ed. 1681., Septem. 11., P. 5., & postea ab Alexar. VIII. Conslit. ed. 1689., Decem. 11., P. 1.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Universis Christianis presentes Literas inspecturis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Progenium a perferri cunctis regum statu petunt.

IN suprema militantis Ecclesie specula his calamitosissimis temporibus super Gregem Dominicum curæ nostræ divinitus creditum pastorales vigilias assidue agitant, dum luctuosas Regni Hungariæ, ac Archiducatus Austriæ, aliarumque hereditariarum charissimi in Christi Filii nostri Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi Provinciarum, & ditionum calamitates, Ecclesiasticorum, & Religiosorum, ac præsertim Sanctimonialium, aliorumque Christianissimorum præcipites fugas, & strages Virginum, & puerorum miserandam in servitutem, & quod amarius deplorandum est, in apostasiam, pudicitiamque discrimina abduktiones, Civitatum, Oppidorum, & agrorum excidia, vastationes, dirptiones, & incendia, aliaque innumera mala, quibus nefarius Turcarum Tyrannus immani ferocia, formidabilique sua potentia nomen Christianum delere molitur, Apostolicæ charitatis studio consideramus, vehementer ingemiscimus, atque inter mœores, & suspiria vocem proferre, & spiritum ducere vix valeamus. Nam quis adeo ferreo sit pectore, cui tot malorum, tristis facies gemitus, & lacrymas non exprimat? Quis ad graviora, quæ undequaque impendent, pericula non summo pavore concutiatur? Immitis enim ille Tyrannus secundis armorum suorum initis inflatus, nihilque sibi impervium jam fore confidens, Viennam Austriæ, Urbem celeberrimam, ac munitissimam, & quæ tumentes olim Turcorum armorum fluctus confregit, arcta, vehementique obfisione oppugnat, & tanquam inexplebilis bellua Christianas omnes Provincias spæ jam devorat, Mahumetanæque perfidiæ abominationem longe, lateque propagare, ac Dei viventis Ecclesiam funditus destrueré satagit. Verum Domino protegente, in cuius manus est salvare in multis, & in paucis, incassum cadent impiorum hostium perniciosi conatus, si divinam iram, quæ hominum flagitiis provocata Christianum populum hoc atroci bello tanquam virga furoris sui castigat, humili peccatorum confessione, dignisque poenitentia fructibus placare, atque ad sacram misericordiarum Domini aram accedere, ardentibusque, & concordibus supplicationibus opportunum auxilium implorare studuerimus. Non enim continet Dominus in ira misericordias suas, sed homines per flagella vocat ad poenitentiam, ac propitiatur invocantibus cum in veritate. Adeamus itaque,

Exhortatio ad pia opera petenda.

cum fiducia ad thronum gratiæ, scindamus corda nostra cum lacrymis ad Deum, jejuniis, & eleemosynis orationum nostrarum vires intendamus, ac unanimi, assiduaque deprecatione Patris misericordiarum, & Dei totius Consolationis opem invocemus: ut sociatis memorati Leopoldi Regis, ac charissimi in Christo Filii nostri Joannis Poloniæ Regis illustris, aliorumque Principum armis, nostrisque, qui quidquid in nobis est virium, & consilii, in causæ communis tuitionem conferre studemus, piis conatibus benedicere, fortissimisque Christi pugilibus ad Viennæ defensionem, Turcarumque, & aliorum Infidelium repressionem vires, & fortitudinem quæ de Cælo est, augere, cæterorumque potentissimorum Regum, & Principum Christianorum, consilia, & vires ad Christiani nominis tutelam unire, & sociare, ac inimicos suos dissipare, & in fugam convertere, prosperosque Christianis armis successus largiri dignetur. Ut autem hæc ferventius, fructuosiusque fiant, præsum Romana Ecclesiæ omnium Matris, & Magistræ morem sequentes, cælestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostræ commisit divina dignatio, in his urgentissimis Ecclesiæ necessitatibus, gravissimisque periculis acquirere, & larga manu erogare decrevimus.

Causa Jubilæi.

§.1. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate consili, ex illa ligandi, & solvendi potestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christianissimilibus in Alma Urbe nostra degentibus, qui solemnem processioni, quam aliqua die proximæ venturæ hebdomadæ ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ supra Minervam ad Ecclesiam ejusdem Sanctæ Mariæ de Anima nuncupatam Nationis Theutonicorum de eadem Urbe, unacum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, necnon Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, Prælatibus quoque, & Officialibus ejusdem Curie, universoque Clero, & Populo, benedicente Domino, agemus, devote interierint, vel Sancti Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris dicte Urbis Ecclesiæ, seu Basilicæ, aut aliquam earum intra spatium ejusdem, vel proximæ subsequenti hebdomadæ saltem semel devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces, ut supra, effuderint, ac quarta & sexta feriis, & Sabbato alterius ex prædictis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediate sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint: cæteris vero extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Ecclesiæ ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus per eos, qui ibi curam Animarum exercent, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ, decursurarum saltem semel visitaverint, ibique ut

Jubilæum.

Quid exhibendum a Fidelibus Romæ degentibus.

Quid ab aliis extra Urbem.

supra oraverint, ac quarta, & sexta feriis, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam Sanctissima Communionem recepti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, sicut in Anno Jubilei visitantibus certis Ecclesiis intra, & extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & largimur: Navigantes vero, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, supra scriptis peccatis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali Loci eorum domicilii eandem Indulgentiam, consequi possint, & valeant. Regularibus autem Personis utriusque sexus, etiam in Claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis, quam Ecclesiasticis Sæcularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis a Locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Quid a navigantibus, & iter habentibus.

Quid a Regularibus, & impeditis.

De Confessario, & ejus potestate.

§.2. Insuper omnibus, & singulis Christianissimilibus utriusque sexus tam laicis, quam Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe prædicta, quam extra eam ubique locorum, ut præfertur degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium, Sæcularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, a Locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflatis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam Locorum Ordinariis, seu nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam per Literas die Cœnæ Domini legi solitas, & alias quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus expressis, quomodocumque reservatis, & in foro conscientiæ, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeat, & insuper vota quæcumque (Religionis, & Castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in prædictis omnibus Casibus poenitentia salutari aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis. Quapropter tenore præsentium in virtute Sobeditiæ districtè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatibus, ac quibuscumque Ordinariis Locorum, ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel his deficientibus, illis, qui curam Animarum exercent, ut cum præsentium Literarum transumpta, seu exempla, etiam impressa acceperint, illa statim, & absque ulla mo-

Injungiur Jubilæi promulgatio.

ra, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, vel Dioceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, five Ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per præsentibus super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ, neque etiam easdem præsentibus iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælati, seu Juce Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Excipiuntur nonnulli casus.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim, quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessionibus, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon Regula nostra de non concedendis Indulgentiis adinstar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, seu Institutorum, Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, earumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, & aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausule.

§.4. Ut autem præsentibus Literæ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Pisc. die XI. Aug. MDCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

CXXIX.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum, & Regularium approbans alternatim inter Hispanos, & Criollos Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia in Indiis Occidentalibus.

Dat. 7. Sept. 1683. an. 7.

De

ccasionem rei bene gerenda semper intentus, immanissimo, si unquam antea exercitu ex omni Barbarorum colluvie comparato, ipsi Rebellibus Hungaris deducuntibus Hungariam, Austriam, atque iis conterminas Provincias invasit, foedeque sacra, & profana omnia igne, ferroque populatus, ingenti quoque Christianorum multitudine in servitutem redacta, Viennam, Germanici Imperii domicilium, & publicae salutis propugnaculum arctissima oppugnatione est aggressus.

§.1. Cum charissimus in Christo filius noster Leopoldus Romanorum Rex in Imperatorem electus ingruenti subito tempestati non dum viribus par esset, & charissimus in Christo filius itidem noster Joannes Poloniae Rex illustris, Magnique Ducatus Lituaniae magnus Dux, qui periculi propinquitate, & magnitudine, ac nostris denique hortationibus excitus, foedus cum Caesare inierat, pluresque praecelari ex Imperio Principes, & Ordines nondum instructi, paratque essent ad communem calamitatem repellendam. Nos igitur pene desperata conclamataque Republica ad Dominum enixius confugientes, majores supplicationes per universam Ecclesiam indiximus, ut in jejuniis, & fletu audiret Deus, secundum magnam misericordiam suam gemitus compeditorum, & solveret filios interemptorum, averteret iram suam a nobis, ipsamque emitteret in Gentes, & Regna, quae nomen suum non invocaverunt. Exaudivit Dominus preces Populi sui, exurrexit, & dissipavit inimicos, piis, fortissimisque Christianorum Principum copiis, in virtute ejus, strenue pugnantibus. Qua sane admirabili victoria, in qua Christianus Populus ab acerbissima servitute pene redemptus praesentem Dei dexteram in attritione cordis agnovit, uti potius, quam frui opus est. Publica nondum securitate firmata, & Turcico Imperio immani mole sua justum, adhuc omnibus timorem incutiente; nec enim dubitandum videtur, quin ab immiti hoste vindictae cupido, & ob acceptam cladem furore percito bellum redintegrari quam primum debeat. Nos quidem paterna charitate nostra publicam causam, & praecelarios Christianaeque Religioni salutare fortissimorum Principum conatus juvare, ut par est, & proficere cupientes in tantis Apostolici Aerarii ob praesentia jam a nobis eidem Leopoldo, & Joanni Regi subsidia angustiis, ad Cleri Italici, & adjacentium Insularum redditus praedecessorum nostrorum vestigiis inherentes animum adjicere cogimur.

§.2. Matura igitur super hoc cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione habita, de eorundem consilio, & assensu indicimus, & imponimus tres integras Decimas infra quinquennium, ut infra persolvendas, omnium, & quorumcumque fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, distributionum quotidianarum, & emolumentorum ordinariorum, & extraordinarium in quacumque re consistentium updecumque, quomodocumque, & qualitercumque, etiam ex pede Altaris, aut alias quomodolibet, & quovis modo provenientium, & proventurorum omnium, & quarumcumque Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiarum, ac Parochialium, aliarumque Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, & Conventuum, ac etiam Menfarum Patriarchalium, Archiepiscopali, Episcopali, Abbatiali, Capitularium, & Conventualium, Prioratum quoque, Praepositarum, Praepositorum, Canoniarum, & Praebendarum, Dignitatum, Personatum, Administrationum, & Officiorum, Cappellaniarum, ceterorumque Beneficiorum, & bonorum Ecclesiasticorum, etiam Jurispatronatum laicorum tam ex privilegio, quam ex fundatione, & dotatione, vel alio quocumque titulo, cura, & sine cura, saecularium, & quorumvis Ordinum Regularium in titulum, commendam, administrationem, aut alias quomodolibet obtentorum, & in posterum obtinentorum, Sancti quoque Benedicti, S. Augustini, Cluniacen. Cisterciens., Praemonstraten., S. Basilii, & qui proprietates, redditusque certos ex privilegio, vel alias possident Mendicantium, ac quorumcumque aliorum Ordinum, utriusque sexus, necnon Cassinens. alias S. Justinae de Padua, Cartusien., Lateranen., Montis Oliveti, Camaldulens., Sancti Salvatoris, Vallis Umbrosae, Silvestrinorum, Coelestinorum, Cisterciens. in Longobardia, ac Clericorum Regularium Societatis Jesu, aliarumque Congregationum, Societatum, & Institutum Regularium exemptorum, & non exemptorum. Et insuper Hospitalium, etiam pauperum hospitalitatem non exercentium, seu bona, & redditus, ultra infirmorum necessitates, & alia pro quibus instituta sunt, pia officia exercenda possidentium, necnon Beatae Mariae Theutonicorum, S. Lazari de Alpofu, & aliarum Militiarum in universa Italia, & Insulis Italiae adjacentibus consistentium, secundum verum annuum valorem fructuum, reddituum, proventuum, & aliorum praefatorum, nisi aliter cum Sede, & Camera Apostolica, & pro ea, cum dilecto filio nostro Palutio Tit. S. Chryfogoni Presbyteri Cardinalis de Alteris nuncupato Sanctae Romanae Ecclesiae Camerario nunc, & pro tempore existenti fuerit concordatum, exceptis dumtaxat ejusdem S. R. E. Cardinalibus ob assiduos, & magnoque labores, quos Ecclesiae universali impendunt, gravissimaque tuenda dignitatis causa sustinent onera, & quia jam praeventive notabiles pecuniarum summas in memoratam causam contulerunt, ac militibus Sancti Joannis Hierosolymitani, qui pro Christiani Orbis defensione adversus Turcas praefatos semper gerunt bella, necnon illis Parochialibus Ecclesiis, quae etiam computatis incertis, & aliis supra expressis triginta unius ducatorum auri de Camera, cum uno quarto alterius ducati paris, illisve Beneficiis, quae computatis praefatis incertis, & distributionibus quotidianis septem Ducatorum similium valorem Annuum non excedunt, dummodo tamen Parochialium, seu Beneficiorum, hujusmodi titularum, una cum illis alia Beneficia Ecclesiastica, sive annuas pensiones valorem praedictum conjunctim excedentia non possideant, seu percipiant, quia tunc illos ad easdem Decimas solvendas obligatos, & adstrictos esse declaramus.

Causa Indictionis.

Indictio ad Decimas super fructibus Ecclesiasticis totius Cleri.

§.3. Ac etiam indicimus, & imponimus tres similes Decimas omnium, & quarumcumque pensionum annuarum, super quibusvis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis, & distributionibus supradictis, sive earum loco fructuum, reddituum, proventuum, obventionum, emolumentorum, ac distributionum hujusmodi in favorem quorumcumque, non tamen Cardinalium, ac Militum Sancti Joannis Hierosolymitani, praedictorum refer-

Ab ea exemptum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, & alii.

Indictio eorundem Decimarum super pensionibus, a quibus excipiuntur Cardinales, & Milites Hierosolymitani.

reservatarum, & assignatarum, seu translatarum, aut reservatarum, & assignatarum, seu translatarum, ac reservandarum, & assignandarum, seu transferendarum, aut reservandarum, & assignandarum, vel transferendarum percipiendas, exigendas, & levandas ab omnibus, & quibuscumque Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Praelatis, ac ceteris cujuscumque dignitatis gradus, status, Ordinis, Militiae, & conditionis personis, infra scripto quinquennio durante praefata quocumque jure, & titulo obtinentibus, & obtenturis, ac reservata, & assignata, seu translata habentibus, seu habituris, necnon Economis, Administrationibus perpetuis, & temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones, res, & alia hujusmodi jura, ex quacumque causa sibi Apostolica auctoritate in toto, vel in parte reservata, seu translata habentibus, & habituris. Saecularibus, & Regularibus Ordinibus, Constitutionibus, Militiarum, & Hospitalium praefatorum (non tamen Sancti Joannis Hierosolymitani) necnon ab ipsis Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, Hospitalibus, Militiis, Mensis, Massis, & locis quocumque privilegio, exemptione reali, personali, & mixta, antiqua, & immemorabili, pacifica, & continuata sussultis.

§.4. Quas omnes Decimas praedictas solvere obligatos, ut praefertur, easdem intra quinquennium proximum quinquaequalibus solutionibus, pro prima videlicet intra proximum diem festum Apparitionis Sancti Michaelis Archangeli Mensis Maji proxime futuri, & successively pro reliquis quatuor solutionibus singulo quoque cum ratam partem intra festum hujusmodi cujlibet anni immediate usque ad totalem solutionem Camerae praedictae, & illius Depositario Generali ad id constituendo omnino volumus persolvisse. Subcollectoribus autem Decimarum hujusmodi extra Urbem nostram, ut infra deputandis, ne ultra taxam competentis salarii in eorum deputationum literis patentibus designandam, etiam petere, vel pretendere, aut percipere audeant specialiter, & expresse, ac sub penis in contravenientes, arbitrio ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarii infligendis prohibemus: Eiusdem vero Depositarii munus erit sedulo curare, ut quicquid pecuniarum ex Decimis colligetur, id diligenter, fideliter afferretur, de mandato nostro speciali, in praefatos usus dumtaxat, nec alios erogandum. Quicumque vero adeo indurato corde, & ratione carens extiterit, quod non sit factus alieno periculo cautus, & tanta avaritia arserit, ut quod gratis ab Ecclesia accepit, particulam accepti ejusdem pereclitanti reddere recusaverit, Decimas hujusmodi nullo modo, vel integre, scienter, aut non secundum verum annuum valorem fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum, vel concordiam cum Sede, & Camera praedictis, ut praefertur in eundem, sive in terminis constituendis, non exhibuerit, seu in illorum exhibitione malitiam commiserit, vel fraudem, si Ecclesiarum Antistes fuerit, suscipimus a Divinis, Capitula vero, Conventus, Congregationes, Societates, & Collegia Ecclesiastica interdicto supponimus, ac singulares personas Antistes inferiores, excommunicationis sententia innodamus, ac in poena privationis j

Solutionum Decimarum terminis.

De Subcollectionibus.

De Depositario.

Penae adversus non solventes, & fraudulentos.

tam Beneficiorum, quam pensionum ipso facto incurrisse declaramus: Ceterum ad praedictas Decimas consequendas praecipimus etiam omnibus Conductoribus, Censuariis, & Affictuariis proprietatum, fructuum, rerum, & jurium praedictorum, etiam hujusmodi pensionibus oneratorum, ut memoratas Decimas nomine Dominorum, ac Pensionariorum ad computum suae cujusque locationis: omnibus vero possessoribus, & usufructuariis, & aliis pensiones, seu fructus, aliaque praedicta solvere debentibus, ut ipsi etiam Decimas pensionum hujusmodi nomine Pensionariorum, Camerae, & Depositario praedictis integre persolvant.

§.6. Decernentes Decimas fructuum, reddituum, proventuum, & aliorum jurium praedictorum secundum verum valorem annuum, & alias vero pensionum Decimas ad eandem rationem trium Decimarum, durante dicto quinquennio, praestari debere, & secundum eam praedictos omnes in solidum cogi posse, ipsarumque Decimarum Procuratores, sive Exactores, a quibuslibet integre exigendi optionem, facultatemque habere, omnesque, & singulos Pensionarios, quacumque auctoritate, dignitate, praerogativa praefulgeant (Cardinalibus, ac Militibus S. Joannis Hierosolymitani praefatis ob causas supra expressas tantum exceptis) ad ipsarum Decimarum solutionem, pro rata cujlibet pensionis, teneri, & obligatos esse, neque ullum Jus, & actionem, etiam in vim cujuscumque pacti, & conventionis, quantumvis ex causa onerosa, vel donationis, juramenti, obligationis Cameralis, augmenti Pensionum, & cujusvis alterius, quantumvis inexcogitatae cautela, & pactio, etiam a Sede Apostolica in genere, vel in specie, atque individualiter cum illarum, & illorum inserto tenore approbatarum, & confirmatarum, ac forsitan praefato quinquennio durante approbandorum, & confirmandorum aliquid aliquando ab his Titularibus repetendi competere, sed ipsos Pensionarios ad Decimarum hujusmodi solutionem pro rata suae cujlibet pensionis, praefato quinquennio durante, ac per eos, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, cogi, & compelli posse, seu debere. Omnes vero confessiones, & quietantias receptionis Decimarum a Procuratoribus, & Ministris Camerae praedictae tam Conductoribus, Censuariis, & Affictuariis nomine suorum Principalium, quam etiam ipsis, necnon possessoribus, usufructuariis, & aliis pensiones, seu fructus solvere debentibus, nomine Pensionariorum faciendas, perinde valere, atque in Judicio, & extra illud ubique locorum fidem facere, ac si ipsismet principalibus, & pensionariis praesentibus, & solventibus factae, & exhibita fuissent. Conductores autem, qui pretium locationis Domini legitime anticipaverint locationem suam hujusmodi quam quoad hoc prorogamus usque ad integram satisfactionem, ut prius, etiam adveniente Successore, continuare debere.

§.7. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Sacri Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, Sedisque Apostolicae Nuncios in quavis instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique id icari, & definiti debere; ac irritum, & inane quic-

Conductores, Censuarii, & alii Dominorum nomine solvent.

Modus exigendi praeficitur.

Quietantiae Minorum Camerae fides adhibeatur.

Clausula sublata, & Decretum irritans.

quicquid fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

Facultates Collectoris Generalis.

§.8. Ut autem omnia prædicta, sicut causa, urgens postulat, diligenter, & fideliter executioni demandentur, præfatum Palatium Cardinalem Camerarium, cujus integritas, fides, atque experientia, notaque devotio jam pridem Nobis perspecta sunt, Generalem omnium Decimarum prædictarum Collectorem in Italia, & Insulis illi adjacentibus hujusmodi, cum omnibus, & quibuscumque privilegiis, jurisdictionibus, ac iuribus, quæ omnes alii ante hac hujusmodi Collectores habuerunt, auctoritate prædicta tenore præsentium constituimus, & deputamus, eique plenam, liberam, & absolutam facultatem, & auctoritatem tribuimus, omnes ipsas Decimas Camere prædictæ nomine procurandi, prædictos omnes, tam conjunctim, quam divisim ad illarum integram solutionem, ut prædictum est, faciendam, etiam per Edictum locis publicis assignandum, monendi, & requirendi; non parentes, fraudantes, & ceteros contumaces in censuras, & poenas prædictas incidisse, servata forma Concilii Tridentini, declarandi, proprietates, res, fructus, & alia bona ipsorum, etiam Manu Regia apprehendendi, & usque ad condignam satisfactionem retinendi; contradictores, perturbatores, & rebelles quoscumque, eisque auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte, quovis quæsto colore præstantes, cujuscumque dignitatis, gradus, & ordinis fuerint, prædictis, aliisque censuris, & poenis Ecclesiasticis, necnon pecuniariis, ceterisque Juris, & facti remediis compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi; dignitatibus, Beneficiis, & Officiis omnibus privandi, & amovendi, ad futura inhabiles faciendi, interdictum Ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii secularis quandocumque opus fuerit invocandi: illos vero, qui resistuerint, ac debite satisfecerint ab omnibus censuris, & poenis prædictis in forma Ecclesiæ sanctæ, absolviendi, super irregularitate forsitan incurâ, dummodo tamen in contemptum clavium non celebraverint, dispensandi, & ad pristinum statum omnino restituendi. Præterea Collectores, & Subcollectores viros, ubique providos, ac fide, & facultatibus locupletes, & solertes in omnibus Civitatibus, Terris, & Provinciis Italiae, & Insularum illi adjacentium hujusmodi, quoquot viderit expedire cum simili, vel limitata, non tamen absolviendi potestate, constituendi, eumque, vel eos ejus arbitrio revocandi, negligentes, & morosos removendi, ac alium, seu alios subrogandi quotiescumque ei videbitur, ac ab eis, eorumque heredibus, & successoribus administrationis rationes exigendi, in delinquentes, & suspectos per se, vel alium, seu alios, & etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura Judicii inquirendi, & meritis poenis puniendi, modos, & formas in prædictis servandos præscribendi, dubia quæcumque in præmissis forsitan oritura declarandi, ac prorsus omnia, & quæcumque circa ea necessaria, & opportuna faciendi, statuendi, & exequendi, etiam si talia forent, quæ mandatum exigent, magis speciale, quam præsentibus est expressum: ea tamen conditione adjuncta, quod Collectores, & Subcollectores deputandi, seu substituendi hujusmodi per deputationem, seu substitutionem

Alii Collectores solvere debent.

de eorum personis, ut præfertur, faciendam, nullo modo censentur exempti a solutione trisi Decimarum prædictarum, quas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, seu pensionum per eos obtentorum solvere debent.

§.9. Non obstantibus fel. recor. præfertim, Pauli III., ac Gregorii XIII. quibus inter alia cavetur, quod Clerici Regulares Societatis Jesu a solutione Decimarum hujusmodi exempti esse debeant, ac B. Pii V. Duodecim Congregationibus præfatis ex titulo oneroso parem exemptionem concedentis, & Bonifacii VIII. Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, & aliis Apostolicis Constitutionibus, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratum, Congregationum, Hospitalium, Militiarum, & locorum prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, stabilitis, usibus, & naturis; necnon quibusvis privilegiis, Indultis, exemptionibus etiam in corpore juris clausis, Immunitatibus, Literis Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Militiis, Monasteriis, Conventibus, Regularibus, Locis, Capitulis, Dignitatibus, aliisque quibusvis personis supradictis tam Secularibus, quam Regularibus generaliter, vel specialiter sub quacumque forma, & verborum expressione ab eadem Sede, etiam causa concordie, aut remunerationis laborum, vel titulo oneroso, aut ex qualibet alia causa, etiam hic non expressa, & necessario exprimenda concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat harum serie latissime, & plenissime, ac specialiter, & expresse pro hac pia causa derogamus, contrariis quibuscumque, seu si Prælati, & personis prædictis, eorumque Ecclesiis, & locis, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim a præfata sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi, necnon personis, eorumque nominibus, & cognominibus, Ecclesiis, Monasteriis, & Ordinibus, ac locis hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, Immunitatibus in genere, vel in specie quandocumque concessis, confirmatis, & innovatis, etiam solutionem Decimarum alias quam secundum antiquam taxam, & nisi in universali Decimarum per Orbem impositionem fieri prohibentibus, necnon promissionibus, applicationibus, donationibus, obligationibus, juramentis, renunciationibus, vinculis, & cautelis, in assignatione prædictarum pensionum factis, quibus per impositionem Decimarum hujusmodi neminem, neque eas quoad præmissa contra quemcumque locum habere, similiter declaramus: aliisque Indultis, Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus quibuscumque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, aut omnino non infer-

Clausula de rogatoria.

Si cessent Decimæ redduntur solutum.

Res factæ pro solutione non distrahanur.

Taxa pro quietantiis obtinendis.

Decimæ in Urbem solvantur.

Poenæ adversus Excolectores fraudantes.

inserta, effectus earum impediiri valeat quomodolibet, vel differti, & de quibus, eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris Literis mentio specialis: quæ omnia contra præmissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari: necnon aliis hujusmodi impositionibus, & concessionibus ad tempus nondum elapsum, si quæ sint facta, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.9. Ut vero subsidia hujusmodi magis prompta haberi possint, & Decimas prædictas solvere debentes ad compositionem cum dicta Camera Apostolica deveniendum per amplius in ventur, statuimus, & decernimus, quod si ante quinquennii prædicti terminationem Decimarum solutio, ut infra, cessaverit, eadem Camera Apostolica ad restitutionem, & restitutionem pecuniarum ab eisdem Decimis provenientium illis, qui ut præfertur, cum ea concordaverint, faciendam, pro rata tamen temporis ante dicti Quinquennii lapsum decursi, & summa per eos soluta omnino teneatur. Et insuper volumus, quod si, favente Deo, causa, propter quas Decimarum prædictarum impositio emanavit, ante quinquennium hujusmodi cessaverint, etiam decimarum hujusmodi solutio cesset, & cessasse censetur eo ipso. Insuper in percipiendis Decimis prædictis Constitutionem rec. me. Clementis Papæ V. similiter prædecessoris Nostri in Concilio Viennen. editam, quod Decimæ ad momentam currentem communiter levari, nec Calices, libri, ceteraque Ecclesiarum ornamenta Divino cultui dicata ex causa pignoribus capi, percipi, vel distrahi, aut alias quomodolibet occupari debeant, ubique volumus observari. Quin etiam præcipimus, ne quisquam etiam plurimum quantumque valoris Beneficia Ecclesiastica, seu plures pensiones, aut fructus, seu talia mixtum obtinens pro litera, & sigillo quietantie Universalis, si illam habere voluerit, ultra unum Carolenum conscientem quatenos triginta septem monetæ Romanæ, solvere teneatur, nec ad aliud onus, etiam pretextu cambii usquam, compellatur. Volumus autem, imo jubemus, quod Decimæ præfate integre tam hic in Urbe, quam extra absque ulla rata deductione (præter quam ratam competentis salarii in subcollectorum in partibus deputandorum Literis patentibus, ut præfertur designandam, quæ summam quatuor pro centenariis non excedat) penes ejusdem Camere Apostolicæ Depositarium deponantur, non obstante quacumque consuetudine in similibus impositionibus, & exactionibus hactenus in favorem quarumcumque personarum, de quibus specialis, specifica, expressa, & individua mentio faciendæ esset, tam ratione Officiorum, quam laborum quamdam ratam, ex eisdem Decimis exactis percipiendi observata. Ceterum volentes, illos quos Dei timor a malo non revocat, saltem formidine poenæ, & publica disciplina compescere; omnes, & singulos cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint etiam si Pontificali dignitate potiantur, qui de hujusmodi exigendis Decimis aliquid usurpare, seu subtrahere, aut sibi ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, seu pensionum per eos obtentorum, ut præfertur, retinere, aut illas exigendo, colligendo, vel conservando fraudem, vel deceptionem aliquam committere malitiose præsumpserint, suspendimus; necnon interdi-

cimus a Divinis, ac majoris excommunicationis, etiam privationis Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum, quæ obtinent, & pensionum, quas percipiunt, necnon inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, sententias, censuras, & poenas incurrere volumus ipso facto: ita ut ab eadem excommunicatione ab alio, quam Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium nequant obtinere.

11. Quia vero difficile nimis esset præsentibus Literas ad singula quæque loca, & quocumque illis opus fuerit perferre: Volumus, ut illarum exemplis, etiam impressis, & Notarii publici manu subscriptis, & Palatii Cardinalis Camerarii præfati, seu alterius ab eodem deputati Collectoris, seu Prælati Ecclesiastici, ejusque Curie sigillo obfirmatis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

12. Ut autem præsentibus ad communem notitiam deducantur, eas valis Ecclesiæ Sancti Joannis Lateranen., Basilicarum Præcipis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ affigi, seu appendi faciemus, quæ se suo quasi sonoro præconio, & patulo judicio publicabunt, ut ii, quos præmissa contingunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut ea ignoraverint, nullam possint excusationem prætere, seu ignorantiam allegare: cum non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam indictionum, impositionum, suspensionis, suppositionis, innodationis, Decreti, concessionis, impartitionis, prorogationis, constitutionis, deputationis, tributionis, declarationis, voluntatis, & præcepti Nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octogesimo tertio Quinto Kal. Octob. Pontificatus nostri anno Septimo.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



Ego

- † Ego Nicolaus Episcopus Ostiensis Cardinalis Ludovicius Major Penitentiaris.
- † Ego Alderanus Episcopus Portuensis Cardinalis Cybo.
- † Ego Petrus Episcopus Tusculanus Cardinalis Orsolinus.
- † Ego Carolus Episcopus Sabiniensis Cardinalis Pius.
- † Ego Alexius tit. S. Laurentii in Lucina Presby. Cardinalis Homodeus.
- † Ego Franciscus Cardinalis Albitius.
- † Ego Decius tit. S. Mariae Transiberim Presbyter Cardinalis Azzolinus.
- † Ego Jacobus tit. S. Mariae in Araceli Presbyter Cardinalis Franzonus.
- † Ego Palutius tit. S. Chrysogoni Presby. Card. de Alteris S.R.E. Camerarius.
- † Ego Jacobus tit. SS. Joannis, & Pauli Presbyter Card. Rospigliofus.
- † Ego Gaspar tit. S. Sylvestri in Capite Presbyter Cardinalis Carpinus.
- † Ego Casar tit. SS. Trinitatis de Montibus Card. d'Estret.
- † Fridericus tit. S. Marcelli Card. Columna.
- † Franciscus tit. S. Martini in Merulana Presbyter Cardinalis Nerlius.
- † Ego Alexander tit. S. Priscæ Presby. Cardinalis Crescentius.
- † Ego P. tit. S. Mariae supra Minervam Cardinalis de Norfolcia.
- † Ego J. B. tit. S. Ceciliae Presbyter Cardinalis Spinula.
- † Ego Raymundus tit. S. Stephani in Monte Calio Presby. Card. Capisuccus.
- † Ego Fr. Laurentius Basilicæ SS. Duodecim Apostolorum Presb. Card. de Laurea.

- † Ego Franciscus S. Mariae in Via-Lata Diaconus Card. Maillardachinus.
- † Ego Carolus S. Mariae in Cosmedin Diac. Card. Barberinus.
- † Ego Paulus S. Georgii Diaconus Cardinalis Sabelus.
- † Ego Felix S. Eustachii Diaconus Cardinalis Casanatte.
- † Ego Petrus S. Mariae in Domnica Diaconus Card. Basadonna.
- † Ego Urbanus S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Card. Sacchetti.
- † Ego Jo. Franc. S. Angeli in Foro Piscium Diacon. Card. Ginnetus.
- † Ego Benedictus S. Mariae in Porticu Diac. Card. Pamphilius.

CXXXII.

Confirmantur Literæ Patentes Ministri Generalis Ord. Minorum S. Francisci de Observantia, & Decretum Cardinalis Protectoris circa executionem alternativæ in Provinciis Limana, & de las Charcas.

De hac alternativa vide Constitutiones, & Decretum laudata in ipsis Patentibus, & præcipue Constit. ed. 1683., Septemb. 7., P. 7. Constitutione vero ed. 1684., Apr. 20. P. 8. habetur Reformatio alternativa pro Provincia Sancti Jacobi in Hispania.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Marinus Sormanus Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum Nos per quasdam nostras in simili forma Brevis literas Decretum in Causa Alternativæ inter Fratres nativos Hispanos, & Fratres Criollos nuncupatos Provinciarum Limana, & de las Charcas in Indiis Occidentalibus dicti Ordinis vertentes a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita emanatum confirmassemus, ipse Petrus Marinus Minister Generalis executionem Alternativæ, ac Decreti, & literarum nostrarum hujusmodi dilectis etiam filiis Commissariis suis Generalibus tam Indiarum in Curia Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici residenti, quam Provinciarum Peruntinarum Ordinis prædicti cum nonnullis præceptis, & Ordinationibus demandavit per quasdam suas patentes literas desuper expeditas, tenoris, qui sequitur videlicet.

§. 1. Fr. Petrus Marinus Sormanus a Mediolano, ex-Guardianus Hierosolymitanus, ac totius Or-

Dat. 4. Oct. 1683. An. 8.

Species facti.

Ordinis Seraphici Patris Nostri Francisci Minister Generalis, & Servus &c.

Patentes Ministri Generalis, in quibus referatur actus, & progressus controversæ d. Alternativa.

Decretum Capituli Generalis pro alternativa anno 1664.

Aliud simile Decretum dicti Capituli Congreg. & ab Alexandro VII. confirmatum.

Decretum Capituli Generalis anno 1670.

Decretum Compromissariorum.

§. 2. Exigit a Nobis muneris nostri debitum utque pro felici concedita Nobis Religionis Seraphicæ gubernio, vel a Prædecessoribus nostris, vel a Capitulis Generalibus, sive etiam ab Apostolica Sede sancita sunt omnimodam fortiantur executionem, & observantiam, eaque præ ceteris, quæ pro eliminandis discordiis, & concordia, ac pace inter Religiosos tuenda, ac mantentenda ordinata sunt. Hujus præcipue finis intuitu in Capitulo Generali hic Romæ celebrato mense Junii 1664. instantibus Custodibus, & Proministris septem nostrarum Observantiarum Provinciarum Regni Peruani in Indiis Occidentalibus, utroque annuente Diffinitorio, partibusque auditis, fuit Decretum sub die 5. ejusdem mensis, ut in ipsis fieret Alternativa inter Religiosos Hispanos dictarum Provinciarum filios, & Religiosos nationales vulgo Criollos nuncupatos, eo modo, quo introducti fuerit in Provinciis Mexicanis, seu novæ Hispaniæ. Huic decreto annuentibus ceteris, solum se opposuit Limana Provincia Prominister, qui cum auditus ab eodem Capitulo Generali, nihil relevans deduxisset, prodiit secundum dicti Capituli Decretum, quo præcipiebatur dictam Alternativam omnino stabiliri, ac successive eisdem Custodes, & Proministri non solum sub die 6. ejusdem mensis obtinuerunt a Sacra Congregatione super Episcopos, & Regulares præposita præfati Capituli Generalis Decreti approbationem, & confirmationem cum executionis Mandato; sed etiam pro majori sancita legis firmitate a SS. D. N. Alexandro PP. VII. Apostolica auctoritate muniri, ac roborari supplicaverunt, & obtinuerunt per Breve datum die 20. ejusdem mensis Junii 1664. Verum dicto Decreto, una cum præfatis confirmationibus, necnon scheda majestatis Regis nostri Catholici in Limana Provincia Diffinitorio exhibitis, parere renuentibus Religiosis Criollos, iterum fuit habitus recursus ad Capitulum Generale anno 1670. Valisoleti celebratum, in quo iterum partibus auditis, perpenasque dictæ Alternativæ necessitate, ipsam confirmavit novo Decreto, cujus executionem, & observantiam R. Patri Commissario Generali Indiarum in Curia Catholica Majestatis residenti serio inculcavit. Cum autem Criolli dictæ Provincie Limana, quibus tunc primum adhaesit Charcarum Provincia iterum opposuissent, se hæc tunc oportune non potuisse contra præfatum Decretum rationes pro ipsis facientes adducere, Congregatio Generalis Toletana de anno 1673., ad quam dicti Criolli provocaverant, mandavit, ut dictarum Provinciarum Diffinitoria in proximo Capitulo Generali desuper informarent, suspensa interim Alternativæ executione: Capitulum igitur Generale anno 1676. Romæ Congregatum, ut omnem impostum controversiarum præcederet occasionem, hujusmodi causam in R. Patres tunc temporis Ministrum Generalem prædecessorem nostrum, ac Commissarium pariter Generalem Indiarum in Curia Catholica Majestatis residentem compromisit, ut Matriti, habitis eorum, quæ desiderabantur notitiis, providerent, ac disponerent, prout in Domino magis censuissent expedire. Quo quidem compromisso a partibus acceptato, ne contingeret

de illius validitate aliquando dubitari, quasi obfaret Decretum suspensivum, quod præfato anno 1664. ex recurfu solius Proministri Provincie Limanae ab hac Sacra Congregatione prodierat, proinde Criolli utriusque Provincie Limanae scilicet, & Charcarum unitim eidem Sac. Congregationi supplicaverunt, quatenus hoc Decreto de medio sublato, totius negotii Alternativæ decisionem prædictis Patribus Compromissariis remittere dignaretur; annuitque eorum votis Sacra Congregatio per suum Decretum expeditum die 12. Junii 1676. Hujus Decreti vigore, & præfati compromissi per Capitulum Generale facti, iidem R. Patres Compromissarii, auditis in Curia Matritensi partibus hinc inde Informantibus, per quasi unius anni spatium, ponderatisque utriusque allegatis, ordinaverunt, & statuerunt, non solum in utraque Provincia stabilendam, ac servandam esse Alternativam inter Religiosos natos in Indiis, & natos in Hispaniis; sed etiam formam ipsam, practicandam in Limana Provincia decreverunt; ut scilicet Provincialis uno triennio eligatur ex una parte, adeo ut si obierit, vel alia de causa jurante Triennio, vacaverit Minister, Vicarius Provincialis usque ad celebrationem Capituli sit, & eligatur ex eadem parte: Alio vero triennio eligatur, & sit ex altera, servata eadem forma; Custos vero si adfuerit, eligatur, & sit ex illa parte, ex qua non est Provincialis, in dicta forma; Et ex quatuor Diffinitoribus, duo semper ex una, & duo reliqui ex altera parte sint, & eligantur. Quo vero ad Guardianos, & alia officia de voto, eligantur indifferenter, & ex utraque parte secundum qualitatem meritum, & idoneitatem Personarum, itaut Guardianus Dominus principalis semper alternetur ex utraque parte de triennio in triennium; Et omni tempore (præter Provinciale, aut Custodem, & duos Diffinitores) eligantur, & adsint ex minori parte saltem decem ad Guardianatus, & officia de voto, ad hoc ut ex illis majori libertate possint eligi duo Diffinitores. Quoad lecturas autem, & alia officia tam honoris, quam oneris eligantur indifferenter, servata Justitia distributiva, & habito respectu majorum meritum, & majoris idoneitatis juxta Constitutiones Generales Ordinis, onerantes in hoc Electorum conscientias. Idem pariter decreverunt pro Provincia Sancti Antonii de las Charcas, cum hac sola differentia, quod attento minori numero Officiorum de voto, ordinaverunt, quod decem officia de voto, quæ pro Provincia Limana mandarunt dari minori parti in Provincia de las Charcas dentur tantum sex ut latius in decreto per dictos Patres Compromissarios dato, & publicato in Conventu S. Francisci Matriti 26. Aprilis 1677. Quod quidem Decretum, ut firmius subsisteret, ac debite mandaretur executioni, Religiosi Hispani duplex Breve a SS. D. N. Innocentio XI. impetrarunt, alterum sub die 26. Junii 1677. præfati Decreti confirmativum, alterum vero sub die 6. Julii ejusdem anni, in quo committitur Archiepiscopo Limano, ut ad proxime recensiti Brevis confirmativi executionem procederet, procedi- que faceret, atque inobedientes, & refractarios, non solum censuris, verum etiam invocato brachii Secularis auxilio compeferet, & ad parendum compelleret. His omnibus Religionis, Summi

Decretum Congregationis Reg.

Alterum Compromissariorum Decretum anno 1677.

Duplex Breve Innoc. XI. pro confirmatione, & executione d. Decreti.